

806 agosto, Pistoia¹

Willerad vescovo di Pistoia, Damianus scabino e Petrus vasso del re, in base ai documenti prodotti, giudicano in favore del monastero di San Bartolomeo di Pistoia, difeso dallo scabino Gislari, contro Gislari filio quondam Gisoni, rappresentante della corte regia, nella lite sorta per la chiesa di San Pietro e Paolo e di San Anastasio donata al monastero dal fu Ratpertus.

Copia del sec. XI.

Archivio di Stato di Firenze, Diplomatico, monastero di San Bartolomeo di Pistoia [B]*.

Edizione: Manaresi, n. 19

+ Exemplar. + In nomine Patris et Filii et Spiritu Sancti. Karolus serenissimus augustus a Deo electus et coronatus magnificus et pacificus imperator Romanum gubernans^a imperium, qui et per misericordiam Dei rex Francorum et Langobardorum ac patricio Romanorum in Etalia, postquam Papia civitate ingressus est, anno trigesimo tertio, et filio eius Pipino regem Langobardorum anno regni eius vigesimo sexto^b, mense augusto, per indictione quartadecima, feliciter. Dum in Dei nomine nos Guillerad² religiosus episcopus sancte Pistoriensis Ecclesie seu Iohannes scabino³ necnon Petrus guasso domni regis⁴, resedissemus in iudicio ad singulorum hominum iustitiam faciendum ac deliberandum, residentibus nobiscum Magenrad comes, Rachinari gastaldius, Ifferad presbiter, Averolphus^c diaconus, Tassimanno et Iohannes filio quondam Gregori^d, Anselmi filio quondam Alchisi et reliqui plures. Ibique eorum omnium advenerunt presentia ad invicem inter se altercationis haventis Gisilari filio quondam Gisoni, qui causam curtis domni regis peragebat, necnon et Gisilari scabino⁵, qui tunc procurator erat monasterii Sancti Bartholomei, ubi Ildipert abbas preesse videtur. Tunc pulsantes eos ipse Gisilari filio quondam Gisoni dicens per quid abet da parte monasterii ecclesia et casas et res sanctorum Petri et Pauli et sancti Anastasii intra hanc Pistoriensem civitatem qui fuit quondam Ratperti, quem a parte curtis domni regis pertinere debetur. Tum dixit Gisilari da parte monasterii: "Non est veritas quod ecclesia vel res ipsa a parte curtis domni regis pertinere deveat, eo quod ecce monimina pre manibus habemus quomodo ecclesia et res ipsa sancti monasterii beati Bartholommei debet^e pertinere". Idcirco nos auditores fecimus moniminas coram nos relegi ipsas. Conscriptum erat unum^f ex ipsis per manus quondam Teuderam notari^g, contenentes^h in eum quomodo his ipse Ratpert offeruerat monasterii sancti Bartholomei quartam ratione ex omnibus rebus suis et insimul mundium et freaⁱ Gumperge et Gisae filie suae cum omnes leges et pertinentias earum, qualiter eis pertinuerunt, una cum personas illarum, ut quatenus sub obedientia abatisse et sub statuta regula in monasterio sancti Gregori, cellula ipsius monasterii sancti Bartholomei, permanere deberent, et reliqua quarta ratione ex sua substantia iudicaverat et tradiderat Dominici, qui tunc fuit abbas ipsius monasterii, ut quatinus per eum vel per posteris atque successoribus suis post decessum ipsius Ratperti devirent esse venundatas pretio tollendum pro anima eius dispensandum, aut si eas res sibi emere volerent, stavile ordine debeat permanere, et per ipsa cartula ipse Ratpert ordinaverat et firmaverat iam dictus Dominicus abbas vel posterisque succesoribus eius in suprascripta ecclesia oratorio beati Sancti Petri et Pauli seu Anastasi, quem in suo privilegio intra hanc civitatem nostra Pistoriense edificare visus fuit, ut quatenus ab illo die in ipsius abatis vel de posterisque successoribus eius ipse sanctum oraculum potestatibus subiaceret vel de ipso monasterio Sancti Bartholomei una cum omnis aedificia case seu curte orto erga ipso oratorio suo omnia

in integrum. In illa medietas de res sua, quem, sicut supra legitur, iudicaverat pertinere deberet in ipsa sorte, et filie eius, qui ei legibus succedere potuissent, accipere salvatione pro ipse aedificia et pro solamenta et curte et orto in alie loca ubicumque haberent. Rursum nobis ipse Gisilari procurator ipsius monasterii ostensit cartula^j ubi legebatur quomodo iam nominatus Dominicus abbas firmaverat in Arimund presbitero suprascripta ecclesia una cum aedificia case seu curte et orto; erga ipsa ecclesia in eius esset potestatem officio peragendum seu missa et luminaria in ipsa ecclesia faciendum, et res ipsius quondam Ratperti de quantum ipse Ratpert per dotes decreverat medietas excepto personas hominibus; nam, ut dictum est, alia res medietas in eius firmaverat potestatem usufructuandi una cum Rachipert et Austrualda filia ipsius Ratperti et curte vel res ipsa regendum elemosina trib[u]endum^k, et post obito ipsorum Arimund, Rachipert, Austroalde omnia tam ipsa ecclesia et case et res in eiusdem abatis vel ipsius sancti Bartholomei monasterii et ad eius rectoris reverteret potestatem et dominationem. Unde tunc dum suprascripta moniminas relegi fecimus et cognovimus eas continentes omnino ut supra declaravimus. Continuo ipse Gisilari, qui causa curtis domni regis peragebat, dixit: “Nichil nobis inpediunt moniminas hanc quas ostendistis, quia ego possum talem consignationem facere, quomodo pars curtis domni regis de casas et res quondam Ratperti hic intra hanc Pistoriensem civitatem investita fuit et Austrualda exinde a parte domni regis servitium faciebat”. Quapropter nos qui supra auditores iudicavimus et fecimus ipso Gisilari da parte curtis domni regis a parte ipsius sacri monasterii sancti Bartholomei dare guadia consignatione ipsa faciendi, sicut dixerat. Unde dum postea in constituta die utrisque partibus revererunt ante nos iam memorati auditores ipsis causatoribus adduxit ipse Gisilari da parte domni regis testimonia, id sunt Fusulo filio quondam Bautoni, Formusulo filio quondam Guillerad, Maurello, Ciavario et Gregorius, qui nobis singulatim ac separatim ab invicem diligenter et studiose ad nos inquisiti equabiliter nobis testimonium unum dederunt: “Scimus de casa et res illa qui fuit Ratpert genitori Austroalde intra hanc Pistoriensem civitatem, unde intentione inter parte domni regis et pars monasterii sancti Bartholomei, quia exinde fuit parte curte domni regis investita et homines curtis domni regis inivi intus erat et ipse Austrualda exinde a parte domni regis, idest Amulrichi et Adalperti comitibus servitium faciebat et tutoris eius erant Gisilari et Teudici, qui exinde a parte domni regis causa peragebat, et, quod hoc simus, sunt annos quinque et amplius”. Set quia non dixerunt ipsi testibus quod casa et res ipsa pars domni regis per quinque annos possedisset, et qualiter ipsi testibus dixerunt per sacramentum firmaverunt testimonium suum. Et insuper ipse Gisilari da parte domni regis iurato dixit per hec sancte Dei evangelia quia: “Qualiter testi isti de causa ista da parte domni regis testimonium reddiderunt veritatem dixerunt. Pro ideo nobis sepe nominatis auditores recte paruit, ideo iudicavimus et fecimus exinde secundum suprascriptorum testimonium pars curtis regiae revestire, ita ut post revestitura adhuc exinde iudicium haberent. Ob hoc post ipsa revestitura ipse Ildipert abbas cum alio procuratore suo, idest suprascripto Petrus guasso domni regis, reversus est ante nos iam nominatus Guillerad episcopus et Damiano scabino de Barbarorum^l in iudicio in presentia ipsius comitis, ubi erant nobiscum Iohannes filius quondam Gregorii, Ifferad presbiter, Tassimanno, Petrus filius Iohannis, Averolphus diaconus, Gutterad et alii plures. Ibique coram nos omnes ipse Petrus asservit suprascripto Gisilari contra partem domni regis dicens: “Ecclesiam beatissimorum Sanctorum Petri et Pauli et Anastasii et casas et res ipsas qui fuit quondam Ratperti intra hanc Pistoriensem civitatem, unde vos iam iste Ildipertus abbas revestivit, iniuste habetis, quoniam ecce moniminas pre manibus habemus quomodo monasterii sancti Bartholomei legibus pertinere deberet”. Et ideo nos sepe dictis auditores fecimus eas ante nos relegi. Cognovimus quia suprascriptas moniminas erant

quem iam superius circumscripta sunt et invenimus eas continentes omnino sicut iam superius recensiti sumus. Set quia iam memoratus Gisilari affa[tus] est: “Nullum obstaculum nobis iste moniminas non faciunt, quia ego iam consignavi quomodo exinde pars domni regis investita fuit, et pro ipsa consignatione et revestitura eas ecclesiam et casas et res a parte domni regis avere volumus”. Pro ideo nos iudicibus dic[tis], Guillerad episcopus, Damiano scabino, interrogavimus prenominato Gisilari si potuisset aut per scripti aut per testibus facere talem consignationem, quomodo suprascripta ecclesia vel casas aut res ipsa ipse quondam Ratpert a parte domni regis dedisset per quem eas par[s] domni regis legibus avere debeat. Tunc ipse Gisilari manifestus est dicens quod nec per scripto nec per testibus nec per nullo modo alia consignatione facere non potuisset, quomodo ecclesia vel casas aut res ipsas a parte domni regis debent pertinere, nisi dixit quod per suprascripta consignatione de ipsa revestitura eas ecclesias et casas et res voluisset habere. Item interrogavimus ipso Gisilari, si potuisset aut per scripti aut per testibus tale consignatione facere, quomodo suprascripto Ratperto non fuisset potestativus in monasterio sancti Bartholomei de re sua ullo modo facere. Set ipse nobis statim dixit, quod tale consignatione nullatenus facere non potuisset. Propterea nobis suprascripti Guillerad episcopus, Damianus scabino optimo comparuit lex, ideo iudicavimus, ut suprascripta ecclesia et casas et res, unde ipsas intentiones inter sibi habuerunt, debeat habere Ildipertus abbas et suos successores a parte ipsius felicissimi monasterii sancti Bartholomei secundum suprascriptas moniminas, nam pars curtis domni regis exinde permaneat quieta, contempta atque remota, et sic ex ipsa portione Austrualde unde suprascripto Gisilari, qui fuit procurator monasterii sancti Bartholomei, in iudicio soluta est. Unde qualiter in omnium eorum presentia causa ipsa acta et conventa atque finium accepta est, presens notitia iudicati seu deliberationis Gauspert notarium scribere admonuimus, ut in posterum exinde nulla oriatur intentio, set omni tempore in eadem deliberatione debeat permanere. Actum Pistoria, regnum et indictione suprascripta, feliciter. + Ego Guillerad episcopus in hunc iudicato a nos facto manu mea subscripsi.

+ Ego Damiano in hunc iudicio dedi una cum Guillerad sanctissimo episcopo et manu mea propria subscripsi.

+ Ego Gualbertus notarius et iudex sacri palatii scriptor qualiter in autenticum inveni fideliter exemplavi.

¹ Su questo placito si veda Civalè 2008, pp. 11-42.

^{*} La trascrizione è stata condotta sulla riproduzione fotografica di B disponibile online sul sito web dell'Archivio di Stato di Firenze [\[qui\]](#).

^a In Manaresi “gubernans”.

^b In Manaresi “vigisimosexto”.

² Rauty 2001, pp. 41-42.

³ Bougard 1995, p. 362.

⁴ Davis 2015, pp. 67-68.

^c In Manaresi normalizzato in “Averolfus”.

^d In Manaresi “Gegrorii”.

⁵ Bougard 1995, p. 362.

^e In Manaresi “debent”.

^f Si desidera.

^g In Manaresi “notarius”.

^h In Manaresi “contenentem”.

ⁱ Sul mundio *Leges Langobardorum*, Azzara - Gasparri 2005.

^j Si desidera.

^k In Manaresi “tollendum”.

¹ In Manaresi “Barberinis”.